

velle: certè plures ejusmodi voluntates numerari debuerunt, quam quinque. Nam minæ & promissiones, neque præcepta sunt, neque prohibitiones, neque permissiones, neque consilia, neque operationes. Et tamen ita proponuntur, quasi sint voluntas DEI. Ita Ninivitis minatus est à Domino excidium Jonas. Ita Ezechia Regi mortem Isaias.

§. 14. Ad hæc, quæ sunt multa, multa etiam possent regeri. At cum instituti ratio nos ad finem jubeat properare, ad ultima saltem, (reliqua conflictui reservantes) quæ Scholasticorum distinctionem insufficientiæ accusat, respondemus. (a) Fortassis quosdam ex ipsis Scholasticis adeo sollicitè non esse negaturos, distinctioni eorum voluntatis signi in præceptum, prohibitionem &c. alia adhuc voluntatis divinæ signa posse addi. Id quod lubens etiam fatetur Estius L. 1. sentent. dist. 54. §. 7. p. 219. lit. E. qui videri potest, cum verba ejus hic nequeant adscribi ob prolixitatem. (b) Durandum tamen lib. 1. sent. fol. 133. sufficientiam quinque signorum voluntatis Dei satis probare. Quid? quod secundum Durandum non adeo forsan sit inconveniens, si minæ & promissiones ad prohibitiones & præcepta, quibus annexæ sunt, referantur: Id quod docet etiam & expressè fatetur, Johannes Strangius, SS. Theol. D. & in Acad. Glosguensi Prof. Primarius, lib. 1. de Voluntate DEI circa peccatum, cap. 31. p. 12. (d) Denique & hoc venit observandum, quod scilicet Chamier distinctionem Voluntatis divinæ in voluntatem beneplaciti & signi non simpliciter, sed saltem eo sensu, quo Scholastici eam accipiunt, rejiciat; retineat verò & probet, prout à socio suo Beza accipitur. Id quod Chamier fatetur ipse Tom. 2. Panstrat. l. 3. c. 8. p. 47. §. 6. quando inquit: *Voluntatis distinctionem in signi & beneplaciti, video probari Beza. Imò non probari: Longè enim alio sensu, quam à Scholasticis proponatur. Signi appellat, quam hominibus ipse DEUS patefecerit. Beneplaciti, quam apud se retineat, nobis occultam: ut quam pollicetur Abrahamo, se fore DEUM, tum ejus, tum seminis ab eo oriundi, ea sit voluntas signi; At quum Ismael & Esau rejecit, beneplaciti. Hoc sensu, vult DEUS*

B a

mala